

ori meo, et ostium circumstantiæ labii meis (Psalm. 140, 3). Cur non a Deo petit regius vates, ut ori suo ponat claustrum, quot ita claudatur, ut aperiri nequeat; sed ostium, quod nunc aperitur, et nunc clauditur? Ex ore prodeunt perjuria, blasphemie, mendacia, convicia, et innumera alia verba mala: ac proinde congruum videtur, ut a Deo os suum totaliter claudi postulet sanctus propheta: cur ergo non a Deo petit, ut suum penitus os claudat? Respondet Augustinus, sanctum regem a Deo petere, ut ori suo ponat, non claustrum, sed ostium quod aperitur et clauditur: quia os in confessione aperire et claudere quisque debet, aperire quidem, ut peccata sua perspicere et integre confiteatur: claudere vero, ut in confessione nulla ex eo egrediatur excusatio: *non dixit claustrum, sed ostium quod aperitur, et clauditur: ergo si ostium est, aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati*. Non prohibetur penitenti, dicere circumstantias peccatum minuentes, quin imo illa dicere debet, ut confessarius peccata ejus talia cognoscat, qualia sunt; verum prohibetur ei, malitiam peccati velare, minuere vel vanis ac malignis excusationibus mutare: non debet cor et os suum inclinare ad sic excusanda peccata: *non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis*. Qui enim sic sua excusat peccata, peccatis præteritis nova adjungit peccata: *cum excusamus, peccata peccatis jungimus* (D. Hier. in Psal. 140, v. 4). Qui sua ita excusat peccata, ut mortale aliquid suis excusationibus tanquam non mortale, vel tanquam non peccatum declaret; mortaliter peccat, et sacrilegium perpetrat. Itaque a pessimis his excusationibus abstinete, ne peccata excusationibus tegatis vel minuatis; testes estote adversum vos; adversum vos injustitias vestras dicite: imitami prophetam qui adversum se loquebatur: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino* (Ps. 31). Adversum me, ut exponit sanctus Bernardus: *arguens et excusans*. Eodem modo arguite vos, accusate vos humiliter et simpliciter. Sit tandem confessio vestra præmeditata sine negligentia; *integra sine divisione; humilis sine excusatione*; et hujusmodi confessio vos sanabit, munda-

bit, et justificabit: hæc etiam confessio Deum placabit, inferni flammæ extingnet, ac paradisi portas vobis aperiet. Amen.

FERIA II POST DOMINICAM TERTIAM.

DE INVIDIA.

Duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum (Luc. 4, 29).

Si quis scire cupiat, unde suam trahat originem invidia, mente sursum feratur, et in cœlo invidiæ protoparentem inveniet diabolum, qui mox a creatione sua prævidens, Verbum æternum non Angelicæ sed humanæ naturæ uniuendum, homini invidit, et ideo ad æterna supplicia damnatus est. Nam ut ait D. Augustinus (*de disc. Christ.*): *Invidia vitium diaboli est, cum quo solo diabolus reus est. Non enim dicitur diabolo, ut damnetur; adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed homini invidisti*.

A cœlo in paradysum terrestrem descendit invidia: ibi enim idem diabolus videns, hominem esse in statu felici eumque a terrestri ad cœlestem paradysum migraturum, ejus invidit felicitati, utque illum a tanti boni assecutione impediret, tentavit, debellavit illum; et sic *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. 2, 24). A terrestri paradiso egressa invidia, in omnes terræ partes se diffudit; intravit in domos sæcularium et regularium, laicorum et clericorum; nec aliquis inveniri potest locus, in quo venenum suum non effuderit. Jamvero pessimo hoc veneno potissimum toxicati fuere Judei, qui invidia in Christum tabescentes, et ægre patientes, quod infirmos multos sanaret, aliaque plurima miracula faceret, ejecerunt eum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium

montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Quam ideo detestandum sit invidiæ vitium, ista concio manifestabit. Ave.

Cum invidia sit dolor et tristitia de bono alterius, quærunt theologî, an omnis tristitia et displicentia de bono alterius, pertineat ad invidiam; et an omnis qui de alterius bono tristatur, dicendus sit invidus et pessimo invidiæ vitio notatus. Pro cujus solutione notandum ex D. Thoma (2, 2, q. 36 a 20), et aliis multis doctoribus, quod dolor et tristitia de alterius bono tribus modis accidere potest. *Primo*, ex timore proprio: cum scilicet quis de alterius bono tristatur, in quantum timet nocementum aliquod temporale vel spirituale ex eo sibi vel aliis justis personis injuste eventurum. Et talis tristitia ex timore justo oriens, non est proprie invidia; nec mala est, sed plerumque bona; et sic non peccavit, nec invidus fuit Matathias (1. Mach. 2), cum videns regem Antiochum velle transferre ritum Judæorum ad ritum Gentilium, verumque Deum relinquere, doluit de ejus prosperitate propter malum sibi et populo imminens. Sic etiam lætari solent Christiani de Turcarum jactura, et dolere de eorum prosperitate, propterea quod sibi, totique Ecclesiæ sit pertimescenda.

Secundo, potest quis tritari de bonis proximi, non quod optet proximum iis carere, sed quia ipse talia, vel similia bona non possidet. Et iste dolor vocatur zelus, vel æmulatio; quæ bona et laudabilis est, cum circa bona honesta et spiritualia versatur: unde hortatur nos D. Paulus ut æmulemur spiritualia: *æmulamini spiritualia: æmulamini charismata meliora*. O utinam omnes spiritualia quæ in aliis vident, æmulentur! Utinam dolerent omnes, eo quod virtutibus careant, quibus alii emicant! Utinam tristentur omnes, quod tantam non habeant castitatem, quantam sanctus Joannes Evangelista; quod tales non fundant lachrymas, quales fudit Magdalena: quod non sint similes Jobo in patientia, Petro in penitentia, Matthæo in contemptu temporalium, et Seraphico Francisco in humilitate, in paupertate, in Dei amore aliisque virtutibus! O quam bonus ille dolor! quam salubris hæc tristitia!

Tertio, potest quis tritari de bonis alterius; ita ut velit, eum illis privari, quia æstimat ea esse suæ gloriæ, suæ famæ, suæ excellentiæ, suoque bono contraria et noxia. Et sic medici medicis, patroni patronis, prædicatores prædicatoribus, singulis singuli, et similes similibus invidere solent. Ut autem ad vitandum et detestandum pessimum istud invidiæ vitium quisque inducatur, hic habeatur sermo ad evincendum, quod invidia est: 1. vitium commune; 2. vitium malignum, 3. vitium exitiosum.

I PARS.

Invidia est vitium commune.

Postquam e terrestri paradiso egressa est invidia, ab Adamo ad posteros ejus transit, illudque vitium ita apud homines commune factum est, ut et in veteri et in novo Testamento innumeri recenseantur, qui turpi hoc vitio coinquinati sunt. Ut autem aliqua hujus rei exempla in veteri Testamento adnotemus, nonne in eo legimus quod Cain, Adæ filius, fratrem suum Abel occiderit pessimo invidiæ spiritu ad hoc concitatus, quando scilicet vidit ejus munerâ acceptari a Deo, non suâ? Nonne adversus Jsaac invidia accensi sunt Philisthim, eo quod Deus illi benedixerit, ac locuples fuerit? nonne Rachel sorori suæ Liæ invidit, eo quod fecunda extiterit? nonne fratres Joseph invidebant ei, videntes, quod a patre plus quam alii ejus filii amaretur? Ex invidia Jacobum fratrem suum persectus est Esau. Josue, quasi invidens duobus viris qui prophetabant in castris, dixit Moysi: *Domine mi Moyses, prohibe eos*. Moysen miracula facientem et audita a Deo referentem non sine invidia inspexerunt Maria et Aaron, dicentes: *nun per solum Moysen locutus est Dominus?* Cum post reditum de Babylone, templum ædificarent filii Juda, gentes quæ erant in circuitu, ob invidiæ vitium quo laborabant, doluerunt, et eos multipliciter impediunt, ac a proposito deterrere conati sunt. Quis vero dicat, quanta principum et sa-

traparum in Daniëlem fuerit invidia? quis enarret, quanto livore, quantave invidia in Judam et Nicanorem exarserit Alcimus? quis tandem recenseat omnes qui in veteri Testamento, pessimo invidiæ vitio contaminati sunt? certe tunc ita apud homines commune fuit hoc vitium, ut quot homines, tot invidi fuisse videantur. A Christi tempore multos etiam invidos extitisse refert novum Testamentum. Nonne in eo legimus, quod cum viderent principes sacerdotum et scribæ mirabilia quæ Christus faciebat, et audirent pueros clamantes: *hosanna Filio David*, invidiæ igne succensi, plurimum indignati sint? nonne in eo narratur, quod audiente fratre filii prodigi festum, quod faciebat pater adolescentiori filio revertenti indignatus est et nolebat introire? nonne ex magna invidia qua in Christum exardescabant Judæi, adversus illum collegerunt concilium, eumque morti adjudicaverunt? quanta vero in sanctos Petrum, Joannem, Barnabam, aliosque Apostolos fuit Judæorum et Gentilium invidia? quanta in Stephanum, in quem dentibus stridebant, dolentes quod non possent resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur? quanta reverentiam in Christum discipulos, in omnibus terræ partibus dispersos et ubique mirabilia operantes? Nullus quidem foret dicendi finis, si sacros codices accurate lustrare vellemus, ut adnotaremus, quam commune in utroque Testamento fuerit invidiæ vitium. Jamvero quod olim factum fuisse narrant sacræ paginae, fit et nunc: turpe illud invidiæ vitium, quod olim commune fuisse asserunt, est et nunc ita commune inter principes et magnates, inter divites et pauperes, inter litteratos et ignaros, inter mercatores et opifices, inter sæculares et regulares, ut nullus fere inveniantur qui hoc vitio careat. Cum magnates superbia inflari soleant, aliis dominari cupiunt. Hinc fit, ut *vel æqualibus* invideant, quod sibi æquantur; *vel inferioribus*, quod crescant, timentes ut sibi pares fiant; *vel superioribus*, quia cuperent illis cœquari. Ex hac invidia, quæ inter magnates et principes communissima est, innumera oriuntur bella: ac sicut Cæsar et Pompejus mutua emulatione concitati, totum conturbaverunt Imperium romanum, ita et sæpe reges et principes totum conturbant et ce-

dibus replent orbem terrarum, quia cum alter alteri invidet, nec unus alium præeminere patiatur, bella cient ut unus alterius potentiam deturbet, aut saltem perturbet. Nec solum inter reges et principes inardescit invidia, verum et inter eorum aulicos, qui omnes in aulis principum moventur et voluntur, velut agmina et examina invidorum. Ac dici potest, quod quælibet principum aula sit quasi schola, et gymnasium invidorum; quia cum ibi omnes aulici ad sublimes honores et altiores dignitates certatim contendant, unus alteri invidet; nec potest unus supra alios elevari quin omnes ei invideant. Invidia enim comes est gloriæ; et quo altius quis elevatur, eo magis aliorum invidiæ et æmulationi subjacet.

Alta petit livor; perflant altissima veni invidiæ.

Quid dicam de divitibus et pauperibus? nonne in eis reperitur invidia? certe nil communius, quam quod divites divitibus, et pauperes divitibus invideant. Commune malum est apud divites, quod aliis præire et ditiores esse cupiant, ac ægre patiantur, quod alii uberiore facultates colligant: imo frequenter ex invidia accidit, ut quidquid divites alteri vident accrescere, totum sibi credant deperire; unde lites, rixæ, et contentiones innumere inter divites oriri solent. At major adhuc pauperum in divites esse solet invidia: non enim pauperibus divites, sed divitibus pauperes invident; nec potest quis dives fieri, quin multorum invidiæ subiaceat. Et ideo præclare dixit Seneca: difficillimum esse divitibus pauperum declinare invidiam: *Facilius est pauperi contemptum effugere, quam diviti invidiam*. Propter eandem rationem, cum quis ab Aristotele petiisset, quid esset invidia, respondit philosophus: *Invidia fortunatorum est antagonista*: quia, scilicet, eo ipso quo quis fit ditior, et pinguiore gaudet fortuna, omnes ei invident; et multi invidiæ spiritu concitati verbis, detractionibus, et omnibus modis eum deprimere conantur. Pessimum hoc invidiæ vitium, magis adhuc inter eruditos et litteratos grassari solet. Heu! quot ex invidia inter eos oriuntur discrepantes sententiæ? quot inter eos ex invidia excitantur contentiones verbosæ?

quot dissidia? quot insectationes? pauci sunt, qui cum Sapiente dicere possint se scientiam suam sine invidia propalare et communicare: *Sapientiam sine fictione didici, et sine invidia communico*. Inter doctos enim facillime inardescit invidia: et ideo tot mutua inter eos censura; ideo non solum verbis, sed et scriptis, magno cum legentium scandalo, sese mutuo acerrime insectantur; ideo conscriptos ab aliis libros toties gravi nota conspergunt. Cum viri docti polleant ingenio, eruditiores et eloquentiores sunt ad alios carpandos, mordendos, et deprimendos: et ideo cum corda eorum invadit invidia, nil non dicunt, nil non faciunt, ut adversarios suos carpant, mordeant et deprimant. Nec mirum, si inter magnates, divites, et literatos grassetur invidiæ vitium, cum eo non careant plebei, opifices et viles quique homines. Nonne communis est invidia inter homines ejusdem artis et sortis? nonne figulus figulo, faber fabro, cantor cantori, vicinus vicino invidet? nonne sutor sutorem, sartorem sartor acri inspicit animo, eo quod quidquid lucratur unus, alter perdere credat? nonne novæ quotidie inter plebejos exurgere solent æmulationes, cum uni ex illis melior fortuna contingit? Vilis plebecula non tam ratione quam passione et invidia regitur: ideo quæcumque proximi sunt, cum invidia contemplantur; dolet quod iisdem non fruatur bonis; se supra alios erigere ambit et eos deprimere satagit. Non loquar de invidia, quæ inter clericos, inter religiosos, et viros quoscumque pios nonnunquam reperitur: nullus enim status ab invidia est securus et immunis. Nonne in Christi familiam olim irrepsit æmulatio, cum contentio inter discipulos facta est, quis eorum videretur esse major? nonne Joannis Baptistæ discipuli Christo et ejus discipulis inviderunt: cum magistro suo Joanni dixerunt; *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum?* Nonne Pharisei, qui sanctitatis specialia erant professores, Christo et discipulis ejus inviderunt? nonne quotidie videmus, quod inter viros aliunde pios aliquis oriatur et exardescat invidiæ ignis? Sancti quidem interdum hoc vitio aliquantulum laborant: verum ut ait

S. Ambrosius, *si invidia sanctos adussit, quanto magis cavendum est, ne inflammet peccatores?* Istos quidem inflammat invidia eosque ad murmurationes, ad detractiones, et ad innumera peccata impellit. Heu! si invidiæ labe sepe inficiuntur viri pii, viri religiosi, viri Deo dicati, quanto magis peccatores, qui aliis multis criminibus coinquinantur? certe peccatoribus, sicut et aliis, imo plus quam aliis hominibus communis est invidia. Est ergo invidia vitium commune, *atque etiam vitium malignum*.

II PARS.

Invidia est vitium malignum.

Invidia potest esse peccatum veniale, *vel ex levitate materie*, seu ex parvitate rei circa quam est invidia, ut cum aliquis alteri invidet, quia melius ludit, suavius canit, clariorem vocem habet, aut in parvo quodam alio bono sibi antecellit; *vel etiam ex imperfectione actus*, puta, cum quis ex subito sensualitatis motu judicium rationis præveniente, seu ut loquuntur alii, cum quis quasi ex motu primo alteri invidet, propter bonum quod in eo apprehendit. Si tamen invidia secundum se, et secundum suam naturam consideretur, tanta ejus est malitia, ut ex genere suo sit peccatum mortale, quia est directe contra charitatem, quæ, ut ait D. Paulus, *non æmulatur*, nec alterius bono invidet; quin contra omnibus benefacere appetit, ac de aliorum bonis gaudet. Ut autem ait Doctor Seraphicus, illud peccatum est ex genere suo mortale, quod directe opponitur charitati, quæ est omnium virtutum regina et forma. Inde quidem quisque auspiciari posset, quanta sit invidiæ malitia; quam tamen adhuc longe graviorem censebit, qui invidiæ vitium ipsi Deo contrarium esse sciet. Quod ut verum esse pateat, sciendum quod prout docet S. Dionysius, omne bonum est suspisius communicativum et diffusivum; ideo cum Deus sit summe bonus, creaturis se suaque bona commu-

nicare appetit, quantum ex se est, et quantum fieri potest secundum ipsarum creaturarum capacitatem. Invidus autem facit totaliter oppositum; non enim vult alis seipsum communicare, aliquod eis præbendo auxilium, vel impertiendo beneficium: quin contra dolet, cum Deum in alios liberalem et beneficium esse videt, ac Dei in alios bonitatem arctare vellet si posset; optaretque, ut Deus in alios esset parcus, eosque privaret bonis, quæ possident. Ecce quomodo invidia sit Deo contraria, eique adeo adversatur, ut cum tam bonus sit Deus, inquit D. Augustinus, ut etiam de malis bonum eliciat, invidia e contra de bonis malum elicere malit, ac insuper invidorum proprium sit de aliorum delectari malis, tristari de bonis, secus omnino ac sentiat Deus, cui omne bonum placet, displicet malum.

Oh magna hæc invidiæ malitia! Oh ejusdem pessima iniquitas, quæ nemini parcit, omnes offendit, ac in eos magis insurgit, qui pluribus et majoribus fruuntur bonis: *inimica est semper alienis profectibus invidia* (Senec. ad Paulin). Non loquar de invidia, qua multi exarserunt in Platonem et alios philosophiæ parentes; in divum Thomam, et alios Theologiæ magistros; in Cæsarem, Pompejum et alios famosos belli duces, orbisque dominatores. Nil dicam de invidia, quæ omnibus sæculis concitata est in viros bonis naturæ, bonis corporis et bonis fortunæ supra alios eminentes. Hos quidem omnes mordet invidia; quod deterius est, viros quoscumque probos, quantavis sanctitate et virtute præditos, pungit, offendit, et pro viribus deprimit. Nonne ex invidia Abel justus et innocens occisus est? Nonne ex invidia Joseph vir sanctus venditus est Ismaelitis? Nonne ex invidia Babylonii videntes, quod tres juvenes hœbraei, Anania, Azarias et Misaël a rege Nabuchodonosor diligenterunt, illum allegerunt ad eos mittendos in fornacem ignis ardentis? quanta olim plurimorum fuit invidia in sanctum Benedictum, cujus fama sanctitatis in omnes orbis partes volabat? Quanta in sanctum Athanasium, qui columna fidei, fulgentissimum Ecclesiæ lumen, et omnis erat exemplar sanctitatis? quanta in sanctum Chrysostomum, qui

licet scientia, eloquentia et omni virtutum genere floreret, aliorum tamen episcoporum invidia, ab Eudoxia Augusta in exilium pulsus fuit? Quanta in apostolos, in martyres et sanctos confessores? Quanta in ipsum Christum, omnis sanctitatis authorem, qui peccatum non fecit, nec dolus fuit in ore ejus? Certe tanta est invidiæ malitia, ut viros quantumvis pios et sanctos aggrediat, nec ulli pareat; tantaque est ejus amaritudo fellis, ut nullum sit opus in viris justis tam bonum et perfectum, quod invidi non carpant et vituperent. Si vir probus humilitatem sectetur, eum invidi abjectum et vilem dicunt: si patientiam profiteatur, eum pusillanimum et ignavum proclamant: si pietatis operibus incumbat, hypocritam eum vocant: si abstinentia et jejuniis corpus affligat, avarum eum appellant; si taceat, eum stolidum censent; si loquatur, garrulum; si gravitatem servet, superbum; si affabilem se exhibeat, levem; omnia tandem sanctorum virorum opera, quantumvis sancta, et omnibus numeris absoluta, ab invidis carpunt. Et sicut draco insidiatur elephantis partui, ut illum pungat et mordeat, ita et invidi bonis quibusque justorum operibus insidiatur, ut illa denigrent, murmuracionis aculeo pugnant et detractionis dentibus mordeant et dilacerent, *invidi res a bonis bene gestas in malum male interpretando corrumpunt, opinionem bonorum mendacis decolorant* (S. Prosp. de vita con., c. 69). O quam malignum illud vitium, quod multorum est origo malorum, atque iniquitatum! Est enim vitium capitale, ex quo multa alia peccata oriuntur. Et ideo a S. Gregorio Nysseno invidia vocatur *malorum princeps, vitiorum radix*: ideo etiam invidia a Sancto Petro Chrysologo dicitur, *peccatorum mater, origo vitiorum*. Multorum quidem vitiorum et peccatorum radix est invidia, quorum nonnulla dinumerat Sanctus Cyprianus dicens: « invidia radix est omnium malorum, fons cladum, seminarium delictorum. Inde odium surgit, animositas inde procedit; avaritiam livor inflammat, dum quis non potest suo esse contentus, dum videt alium ditio- rem. Ambitionem invidia excitat; propter invidiam timor Dei spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non

previdetur. Per invidiam dominicæ vinculum pacis rumpitur, charitas fraterna violatur, adulteratur veritas, unitas scinditur ad hæreses atque schismata declinatur ». Divus Bonaventura ait, ex invidia peccata multa procedere, ex quibus quinque enumerat, quæ invidiæ filias vocat: « invidia, inquit, secundum Gregorium quinque filias habet. *Prima* est odium, quod est velle malum alicui, et nolle ei bonum. *Secunda* est exultatio in adversis proximi. *Tertia* est afflictio in prosperis proximi. *Quarta* est susurratio, quæ est detractio latens. *Quinta* est detractio, quæ fit in aperto, quia intendit melior apparere illo, cui detrahit. Ecce infelices invidiæ partus; ecce peccata et mala quæ a malo hoc vitio procedunt: quid plura? ut ejus magis manifestetur malitia, addere licet, quod ex invidia haud raro sint perpetrata homicidia, imo et Deicidium. Ab invidia quidem oriuntur homicidia: ut enim loquitur D. Chrysostomus (hom. 44 ad pop.), *invidia homicidii mater est*: quod et attestatur Spiritus Sanctus, dicens: *alius alium per invidiam occidit* (Sap. 14, 24). Non hic recensebo innumera, quæ ex invidia orta sunt homicidia; aliqua ceteris graviora commemorabo, nempe fratricidia: ex his autem taceo Remum, qui a fratre suo Romulo urbis Romæ conditore occisus est, de quo Lucanus.

Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

Sub silentio prætereo alia fratricidia, quæ in prophanis historiis referuntur, ut ex memoratis in sacra Scriptura unicuique hic adducam, Abelis scilicet, quem ab initio mundi occidit Cain, quem propterea S. Basilius (hom. *de invid.*) vocat primum diaboli discipulum, a quo invidiam et cædem didicit; *primus diaboli discipulus, invidiam et cædem ab eo edoctus*. Sicut primus urbis Romæ conditor manus suas germani fratris sanguine cruentavit, ita Cain, *primus terræ civitatis conditor, fuit fratricida; nam suum fratrem civem civitatis æternæ in hac terra peregrinantem, invidentia victus, occidit* (S. Aug. *de Civ. D.* 5, 5). O atrox invidiæ vitium, ex quo prodeunt homicidia, et fratricidia: imo et *Deicidium!* Unusquisque vestrum haud dubie capit, quod de Christo loquar; cui

cum violentas manus intulerunt Judæi, Deicidium perpetrarunt. Judæi invidentes Christo, eo quod miracula multa faceret, dolerant, irascebantur, exarcebantur, tabescebant, furebant, ei improberabant, calumniis cum afficiabant, ac tandem eum morti tradiderunt. Unde ingeniose nonnulli appositam hanc Christi cruci inscriptionem, J. N. R. J. sic explicant; *invidia nostrum Regem interfecit*. Invidia quidem eum interfecit, ut enim ait S. Gregorius Nazianzenus, *per invidiam mors venit in mundum; propter ipsam Abel est interemptus, David cædis periculum subiit; et quod summa rei est, maximeque detestabile, invidia Judæi Christum interfecerunt*. Ecce summam invidiæ malitiam, quæ quidem magna est; quia charitati opponitur; quia Deo contrariatur; quia nemini parci; quia innumera peccata parturit, ejus autem malitia maxima et summa est, quia Christum cruci affixit, et occidit. Cum igitur tanta sit invidiæ malitia, eam quisque pro viribus detestari et fugere debet. Et ut ait S. Cyprianus, *nihil magis christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et libore capiatur*. Quanto major est invidiæ malitia, tanto majore sollicitudine eam quisque fugere debet, omne invidiæ venenum deponendo, *deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones* (1. Petr. 2). Væ his qui tale venenum non deponunt, væ his qui invidi Cain maligna sectantur vestigia, *væ illis, quia in via Cain abierunt*. Maledictus Esau, quia in via Cain abiit, cum ex invidia fratrem suum Jacob persecutus est; maledicti fratres Joseph, quia in via Cain abierunt, cum ex invidia eum venderunt. Maledicti Chore, Dathan, et Abiron, qui in via Cain abierunt, cum ex invidia adversus Aaronem insurrexerunt, et ideo a terra absorpti sunt. Maledictus Saul, qui misere tandem occisus est, et a Deo reprobatus, quia ex invidia Davidem innocentem toties persecutus fuerat. Maledictus Joab, qui Abner et Amasam ex invidia proditorie occidit. Maledictus Aman, quia ex invidia totum Judæorum genus simul cum Mardocheo delere voluit. Maledicti Satrapæ, qui ex invidia Danielis vitæ insidias pararunt. Maledicti Judæi qui ex invidia

Christo mortem intulerunt. Maledicti tandem omnes qui in via Cain abeunt, et qui invidiæ vitio contaminantur, cum hoc vitium malignum sit et pessimum; *nec non quam maxime exitiosum.*

III PARS.

Invidia est vitium exitiosum.

Ut evincam invidiam esse vitium exitiosum, omissis damnis quæ iis, quibus invidetur, inferre solet, de iis loquar solum, quæ ipsi homini invidio inferat. Quæ quidem magna sunt, cum invidia eum intus torqueat, cruciet et dilaceret, eumque non solum multis eum malis in hoc mundo afficiat, verum et in alio mundo æternis suppliciis addicat. Invidus dum aliis officere cupit, sibi ipsi noxius, infestus, et exitiosus est; invidia interna qua uritur, est quasi tortor interior a quo torquetur et dilaceratur; *invidia*, inquit D. Augustinus, *sibi primum nocet, primum authorem suum mordet, menti officit: cor quasi pestis deponit, animum urit.* Ob hanc causam invidia tineæ similis dicitur, quia scilicet sicut tinea lignum ex quo oritur, corrodit, sic invidia eos in quos gignitur, pungit, mordet, et devorat: *sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi* (Prov. 25, 20). Ob eandem causam invidus syreni comparatur, quia sicut syrena tempestatis tempore canit, et gaudet; tempore vero sereno, et quamdiu mare tranquillum est, tristatur, dolet et anxiatur, ita invidi gaudent de aliorum adversitate, tristantur vero et intus cruciantur de pace et aliorum prosperitate. Antiqui, ut exprimerent, quomodo invidus ab invidia intus torqueatur, eam delineare soliti erant, ut mulierem annosam macie et pallore confectam, oculos habentem lividos, et cor suum edentem. *Primo* invidia ut femina depingitur, quia invidia infirmi animi vitium est, et plerumque in feminis regnat; annosa quoque est, quia a mundi primordio ætas ejus. *Secundo*, invidia proponitur, ut

macie et pallore confecta, quia invidentes tristitia siccatur, et pallidos efficit: *Pallor in ore sedet, et macies in corpore toto.* Tertio, invidia describitur oculos habens lividos et obscuros, quia invidi mentis cæcitate laborant, ac lucem in tenebras convertunt, dum aliorum bona opera, vel præclare gesta sinistra interpretatione obscurare conantur. Quarto, invidia dicitur cor suum edere, quia hæc est internus tortor, quo interius cruciantur invidi, qui tortor omnibus aliis crudelior est; quia domesticus est, quia gravia inferat supplicia, et quia semper et sine ullo fine invidum torquet: *invidiam qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem! Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum poena est, ubi cruciatio est aliena felicitas?* (Chrys. ser. 172). Homini invidio exitiosum sane invidiæ vitium, cum sit tortor internus a quo ipse invidus cruciatur, et multa supplicia patitur, et anima ejus spiritualiter occiditur. Licet enim omne peccatum mortale mortem animæ inferat privando eam vita gratiæ in præsentem et vita gloriæ in futuro, peculiari tamen quodam modo invidia grande hoc malum, et spirituale illud homicidium perpetrat, juxta illud Job 5, *parvulum occidit invidia.* Qui enim per alia peccata mortalia spiritualiter interficiuntur, facile reviviscunt, et a peccatis resurgunt; qui autem per invidiam occiduntur, raro et fere nunquam reviviscunt, quia invidia est malum, quod non curatur: *invidia omnibus malis pejor: quos enim vulneraverit, ad curam non veniunt* (Chrys. ser. 48).

Summopere ergo est exitiosum homini invidio invidiæ vitium, cum spiritalem ei mortem congreget, eo quod Deus invidos dire plectat, ut ait Sapiens: *qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus* (Prov. 17, 15). Ille qui ruina alterius lætatur, est invidus, qui de alterius bonis tristari, et de malis alterius lætari solet: ille autem non manebit impunitus, quia si ante mortem peccatorum suorum poenitentiam non agat, duplici eum poena Deus plectet, æternæ scilicet beatitudinis privatione et inferni supplicii. Omnia qui-

dem mortalia peccata cœlesti beatitudine privant, ast hoc specialiter invidia convenit; cum enim invidus de alterius bono tristetur, quomodo esse et vivere posset in cœlo, ubi nullum videret qui infinitis non potiretur bonis; si invidus esset in cœlo, a cuiusque sancti bono et felicitate cruciaretur, et sic in medio paradisi infinitus pateretur cruciatus, quod a cœlesti beatitudine omnino alienum est: quare invidus non intrabit in regnum cœlorum. Et ideo S. Basilius invidiam vocat: *privationem regni cœlorum*; ideo etiam sanctus Zeno Veronensis ait, invidiam obstat, ne invidus in paradysum intret: *fugiamus invidiam obicem pietatis, obstaculum regni cœlestis*. Quod probe noverat Vates regius, dicens, quod invidi sunt a Deo destruendi, a cœlo evellendi et eradicandi; o invide, inquit, *dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem; dilexisti omnia verba præcipationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem: evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium* (Ps. 51, 5-6). O invide, alterius felicitati invidens, tanta tua est malitia, ut alterum felicem esse ægre patiaris quapropter in tuæ malitiæ penam, æterna te Deus beatitudine privabit: *ac etiam æternis te inferni suppliciis adjudicabit*. Invidi in hoc mundo dirissime cruciantur interius, dolores gravissimos patiuntur: jamvero cruciatus et dolores illi interni quos patiuntur, graviores inferni cruciatus prophetizant, suntque quasi primitiæ et initia penarum perpetuarum, quas in inferno passuri sunt. Ut enim ait sanctus Zeno Veronensis: invidia est *via gehennæ* et pœnæ quas in hoc mundo perforunt invidi, sunt *pignus et primitiæ quedam pœnæ perpetuæ*. Invidiam enim inferno confert Sapiens: *dura*, inquit, *sicut infernus æmulatio*. Invidia quidem inferno comparatur, quia invidi in hoc mundo torquentur graviter, et quasi præpropere patiuntur supplicia, quæ sustinent in inferno reprobi. Invidia comparatur etiam inferno, quia refertur ad infernum, tamquam ad terminum suum, invidia enim est via ad infernum, et ut ait S. Basilius, invidia est *punitiois arripio, via ad gehennam*. Invidus in hoc mundo vivum in semetipso portat infer-

num, et damnatorum quodammodo patitur tormenta, cujus peccati si non poeniteat, ab internis quæ hic sustinet suppliciiis, ad æterna migrabit, ac interni quos hic patitur dolores, non eum ab inferni doloribus liberabunt, imo eum in infernum æternum cruciandum perducent, quia, ut ait S. Augustinus, *dolores invidiæ mortem operantur, et ad infernum perducunt*. Quam igitur exitiosum invidiæ vitium! o quot et quanta homini invido infert damna! invidiam ergo detestemur et summa sollicitudine fugiamus. At proh dolor? invidiæ malum videtur irremediabile, eo quod sit *vitium diabolicum*; quia sicut diabolus pertinaci voluntate suo adhæsit peccato, et fuit inexpiabiliter criminosus, sic et hominis invidi cordi ita fortiter adhæret invidia, ut ab eo vix separari, ita impugnatur ut vix eam superare queat: *invidiæ vitium fuga potest, non potest superari conflictu* (Chrys. ser. 48). Hoc quidem propriis viribus non potest homo, potest autem cum Dei gratia, quæ nunquam deest iis, qui eam humiliter a Deo postulant, hæc est spiritus bonum quem Deus petentibus libenter largitur: *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus* (Luc. 11, 14). Ergo Deum supplices rogate, ut spiritum suum bonum vobis impertiatur, ab eo humiliter petite ut det gratiam, qua invidiæ vitium e cordibus vestris eradicare valeatis. Cavete ne hanc in cordibus vestris gratiam otiosam reliquatis, agite cum illa et generose decertate, ut malignum et exitiosum invidiæ vitium expugnetis. Antequam corda vestra invadat invidia, summa cura cavendum et providendum, ne a tam pestifero malo capiantur. Si vero jam corda nostra livor occupaverit, summo studio vigilate, et laborate, ut tantum malum procul a vobis pellatis. Omnes homines sicut vosmetipsos diligite, de aliorum felicitate gaudete ut omnibus bene sit, optate, benefacite iis etiam qui oderunt vos, et sic a vobis fugabitur invidiæ spiritus, ac Dei spiritu implebimini, qui vos perducet ad regna cœlorum. Amen.